



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

16. Conclusio tractatus de vitæ statu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

PARS XVI.

*Conclusio tractatus de status generisq;
vita deliberatione.*

Nemo dicat: Quotusquisq; est adoleſcē-
tium qui vitā ſibi aliquam delecturus
hæc diſpiciat & obſeruet? In promptu
ſiquidem reſponſio. Quanti ſunt, qui in eo
ſtatu quem ſibi, ſine hac cautione & cōſide-
ratione delegerunt, exitum felicē ſortian-
tur? Docet quotidiana experientia multo-
rum, qui quod nullā habita vel Dei vel ſa-
lutis ſuæ curā, ad coniugia, ad Eccleſias, ad
Canonicatus, ad animarum miniſterium,
ad religioſa inſtituta prouolāunt, in gra-
uiſſima ſalutis ſuæ diſcrimina ſæpē incur-
rerunt. Deinde, quis non videat de eo ma-
turē & ſeriō deliberandum & ſtatuendum
eſſe, quod in omnem vitam retinendum
eſt? Propterea Tobias prudenter ad filium;
Tobia 9. Filii mei, inquit, pete à Deo, vt vias tuas diri-
gat, & conſilia tua in ipſo permaneant.
Peccant proinde ij, qui ſuam vocationem
ſine timore Dei corrupto affectu, quod car-
nis impetum, mundi que ſequantur iudi-
cium, leuiter auſpiciantur. Huc enim ſpe-
ctat Chriſti Domini præceptum, vt non
ſecundariō, ſed primū, ac purē quærant
regnum Dei, ac iuſticiam eius, ſi nempe
proſpe-

prosperum successum, & exitum in sua vocatione consequi cupiunt.

*Oratio pro loco, ac salutaris
vitæ statu.*

O Domine Deus æterne, qui cuncta gubernas, disponis, & moderaris, inuoco paternam pietatem tuam, & peto, vt locum ac statum talem mihi prouideas, vbi congruenter ad tuam gloriam, & ad meam salutem tibi valeam famulari. Per Dominum nostrum, &c.

O 2

CA.